

tem, siquidem Ecclesiæ permaxime interest, ad suum regimen viros habere litteratos (1). Ne autem ecclesia debito destituatur servitio, arbitrio Episcopi vel capituli relinquitur, quot canonici ex prædicta causa eodem tempore abesse possint (2). Ad hanc tamen absentiam requiritur 1° licentia: licet enim juxta aliquos (3) hæc necessaria non sit, cum sit privilegium jure communi concessum; ipsa tamen communiter exigitur, nec immerito, cum enim non nisi docibiles et habiles ad studia mittendi sint, superiorum erit, prius examinare, num tales existant, eisque solis, quos capaces invenerint, licentiam concedere (4). Juxta c. *Super specula* de magistris lib. V Decretal. tit. V, licentia Apostolica requiritur (5); at juxta c. *Relatum* lib. III Decretal. tit. IV, c. IV (6), requiritur tantum licentia Episcopi seu Prælati. Absentia igitur studiorum causa, ut legitimam excusationem præbeat, si non Summi Pontificis, Episcopi saltem licentia cohonestari debet (7). Indultum a Sede Apostolica impetratum, Ordinario loci præsentandum est juxta decretum Innocentii XII, 15 Martii 1692 (8). Requiritur 2°, ut studeant in publica universitate (9), vel saltem in loco, ubi viget studium, uti in scholis PP. Societatis Jesu (10), et communiter in seminariis diocesanis, in quibus clerici in omnibus scientiis erudiuntur (11), non autem in villis vel castellis, in quibus nullum est, vel minus competens exercitium studiorum (12). 3° Re-

(1) Lib. III Decretal. tit. IV, c. IV *Relatum*; lib. V, tit. V, de magistris, c. V, *Super specula*; Sexti Decretal. lib. V, tit. VII, c. II, *Cum de diversis*.

(2) Pallottini, *Canonici* § III, n. 109; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de cler. non resid. c. *Cum ad hoc*, n. 14 et 15.

(3) Krimer lib. III Decretal. n. 117.

(4) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 139.

(5) Giraldis exposit. juris Pont. p. 1, sect. 787, III; S. C. C. 20 Dec. 1857; Correspondance de Rome, tome 3, 1851 et 1852, fol. 252.

(6) S. C. C. in *Tudertina*, 1573 apud Pallottini *Canonici* § III, n. 109; Reiffenstuel loco cit. Bouix de capit. part. III, cap. II, § 13, p. II, n. 7; Henry de residentia cap. V, § IV.

(7) S. C. C. 29 Sept. 1743, *Melevit*. § 4; 2 Dec. 1775, *Nephes*. § 7, apud Zamboni vol. 4, *absentia et canonici* § XI.

(8) Benedictus XIV, Inst. 107, § X.

(9) Fagnanus in 1, p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 73; Zamboni vol. IV, *absentia*.

(10) S. C. C. 18 Nov. 1673 in *Mediolanen*; Pallottini *Canonici* § III, n. 120; Giraldis exposit. juris Pont. p. 1, sect. 787 in fine.

(11) Krimer lib. III Decretal. n. 119.

(12) Lib. III Decretal. tit. IV, c. XII *Tuæ*; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 141.

quiritur, ut assumatur studium Scripturisticum, theologicum vel canonicum. Quæ studia ecclesiæ maxime necessaria sunt, serviuntque ad cultum divinum promovendum. Si studium philosophiæ, juris civilis et etiam grammaticæ quandoque admittatur, id tantum fiet causa postea addiscendi theologiam et jus canonicum (1). 4° Requiritur, ut canonicus studio vacaturus, non sit ultra triginta annos (2); quinimo teste Cardinali Petra (3) sensus Sacræ Congregationis est, ut nondum attigerit annum vigesimum quintum, vel saltem non excesserit (4), et dummodo non absit ultra quinquennium (5). Si autem agatur de beneficiatis urbis Romæ, hujusmodi indultum non est concedendum ultra triennium, neque majoribus viginti quinque annis; quinimo ea ætate viginti quinque annorum expleta, hujusmodi indultum, licet triennium expletum non fuerit, expirat ex Constitutione Innocentii XII, *Sanctissimus Dominus*, 23 Maji 1693 (6). 5° Requiritur, ut canonicus studeat, saltem per majorem anni partem (7), studiisque vere incumbat; tempus negliger et inutiliter non perdat, ludendo, rebus vanis vacando, per villas vagando et castella; et ideo scholari qui non frequentat vel non studet, indulgentia competi non debet (8); ac propterea tempore generalium vacationum ad residentiam redire, et choro personaliter inservire tenetur (9). Requiritur 6°, ne ecclesia ministrorum defectum patiat, debitoque destituatur servitio. Nihil juvat studiorum causa, quando verum ac personale clerici ministerium requiritur (10). In hoc casu canonici ad residentiam etiam revocandi sunt (11). Toto illo tempore, quo canonici studentes absunt, distri-

(1) Conc. Trid. sess. V, cap. 1, de reform. Reiffenstuel loco cit. n. 142; Giraldis loco cit.

(2) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 138.

(3) Comment. tom. III, n. 10 ad Const. X. Bonif. VIII; Henry de residentia cap. V, § IV.

(4) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 73.

(5) Lib. V Decretal. tit. V de magistris, c. V *Super specula*; Pallottini *Canonici*, § III, n. 109, 110, 117; Fagnanus loco cit.

(6) Giraldis exposit. juris Pontif. p. 1, sect. 787; Bened. XIV, Inst. 107, § X; Henry loco cit.

(7) S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 132.

(8) Lib. III Decretal. tit. IV, c. XII *Tuæ*; Fagnanus in 1, p. III Decretal. de cleric. non resid. c. *Cum ad hoc* n. 11; Krimer lib. III Decretal. n. 118, not. 3.

(9) S. C. C. 20 Dec. 1851, Correspondance de Rome, tom. 3, 1851 et 1852, fol. 252.

(10) S. C. C. 13 Maji 1743, *Ostunen*. § 9, apud Zamboni tom. IV, *absentia*.

(11) Lib. III Decretal. tit. IV, c. XVI *Cum ad hoc*; Fagnanus loco cit. n. 14.



butiones quotidianas percipere nequeunt, sed integros fructus lucrantur (1), non obstante aliqua contraria consuetudine vel statuto (2); eosque percipiunt a die datæ licentiæ (3). Quod si fructus omnes in distributionibus consistant, tunc canonico causa studiorum absenti, duæ earum partes debentur, amissa tertia, quæ inter præsentibus dividitur; vel si fructus præbendæ tam tenues fuerint, ut tertiam partem distributionum non attingant, tunc coacervatione facta ex distributionibus et fructibus præbendæ, duæ ex tribus partibus indultario tribuuntur, amissa tertia, quæ inservientibus accessit (4).

X. *Evidens reipublicæ utilitas*, justa est absentiae causa: cum enim Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. 1, de reform. declaret, evidentem Ecclesiæ vel reipublicæ utilitatem, legitimam absentiae causam esse posse; sequitur, non tantum ecclesiæ, sed etiam reipublicæ utilitatem ad sensum Concilii justam absentiae causam reputari. Æqua quidem hæc ratio erit erga rempublicam, a qua etiam ecclesiæ et ecclesiastici multos recipiunt favores ac emolumenta, atque illius salus et felicitas in illos quoque redundat. Licet igitur juxta Garciam (5) existentes in servitio regis seu principis non excusentur a residentia; mos tamen geri potest principibus ad difficiliora regni negotia communibus consiliis agitando, vel ad regni comitia peritos clericos accersentibus, vel legationes publicas committentibus, etc. Quod etiam, ideo valde prodesse potest, ut exinde major quædam in civilem quoque administrationem sanctimonia sese diffundat, ac minus sit periculum, ne sanctiones immunitati ecclesiasticæ adversæ statuatur. Verumtamen caute hic attendendum est, ne prætextus utilitatis publicæ aliquem seducat, et ne quis se nimis libere ingerat sæcularibus et profanis negotiis (6).

XI. *Consuetudo an ut legitima absentiae causa admitti valeat*,

(1) Conc. Trid. sess. V, cap. 1, de reform. Benedictus XIV, Inst. 107, § X; Zamboni tom. IV, *Absentia*; Pallottini *Canonici*, § III, n. 109 et seqq. Fagnanus n. 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*. n. 1, 73 et 96; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 135-148.

(2) Lib. V. Decretal. tit. V, de magistris, c. V, *Super specula*.

(3) S. C. C. 24 Aug. 1672, *Mediolanen.* lib. 27 decr. apud Pallottini loco cit. n. 121.

(4) Constit. Inn. XII, *Sanctissimus Dominus*, 23 Maji 1693; Giraldi exposit. juris Pontif. p. 1, sect. 787; Benedictus XIV, Inst. 107, § X; Pallottini *Canonici* § III, n. 111-117; S. C. C. 27 Ap. 1861. *Analecta juris Pontif. sér. 6*, 1863, fol. 2266.

(5) De beneficiis p. III, cap. II, n. 389-391.

(6) Ita Bockhn lib. III Decretal. tit. IV, n. 37.

inquiri potest. Certum est et communiter admissum, consuetudinem non residendi ultra tres menses, etiam immemorabilem, quæ ante Concilium Tridentinum existerat, per Concilium abrogatam et extinctam fuisse; nam statuit, non licere *vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses, ab ecclesiis quolibet anno abesse* (1). Plures (2) autem censent consuetudinem non residendi ultra tres menses introductam post Concilium Tridentinum legitimam esse posse, quia obligatio residentiae canonicorum, post Concilium per contrariam consuetudinem immutari potest, eo quod non sit juris divini, sicut residentia eorum qui curam animarum habent; neque obstat illa clausula Concilii Tridentini omnis consuetudinis derogatoria, cum doctores similes clausulas interpretari soleant de consuetudine præterita ante legem existente, et non de ea quæ postmodum de novo introducta aut confirmata est; et huic ipsi derogationi, tamquam ex mero jure positivo provenienti, per novam consuetudinem derogari valet (3), ut dictum est § 4. Huic autem opinioni obstat, quod ista consuetudo repugnet naturali regalique beneficiati obligationi, et tanquam disciplinæ choralis corruptela nedum admittenda, sed potius rejicienda sit. Præterea hæc consuetudo reprobatur per praxim SS. Congregationum, quæ nomine Summi Pontificis agentes, pro nihilo constanter habent hujusmodi consuetudines contrarias. Quamvis igitur omnis lex humani juris, non excepta Tridentina, per consuetudinem contrariam vinci possit; dicta tamen praxis SS. Congregationum æquivalere videtur declarationi, data occasione, constanter repetitæ, qua Summus Pontifex monet, se velle istas Tridentinas leges inviolatas servare, et se consuetudinibus contrariis non consentire (4). Unde Sacra Concilii Congregatio declaravit 8 Augusti 1829 (5) immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus: ita ut,

(1) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 162 et 163; Lucius Ferraris *Canonicatus*, art. V, n. 119 et 130; De Angelis Prælect. juris Can. lib. III Decretal. tit. IV, n. 4.

(2) Louvrex dissert. XIX, n. 16-20; Engel. lib. III Decretal. tit. IV, n. 29; Schmitz lib. III Decretal. tit. IV, q. 1; Krimer lib. III Decretal. tit. IV, n. 113; Bockhn lib. III Decretal. tit. IV, § III, n. 41; S. Alph. de Liguorio theol. mor. lib. 4, n. 139; Zypæus lib. III Decretal. de clericis non resident. n. 13.

(3) Ita Engel loco cit.

(4) Acta S. Sedis, vol. XIII 1881, fol. 553, not. Sacræ Liturgiæ praxis, tom. 1, n. 10.

(5) In *Ferentina Residentiæ* § apud, uti refert Pallottini *Canonici* § V, n. 27.



si immemorabilis consuetudo, quæ existerat 1829, non excusaverit, manifeste sequatur, consuetudinem introductam post Concilium, non esse causam legitimam non residendi, et canonicos non excusare.

§ 11. De pœnis contra non residentes.

I. Statuit Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XII de reformatione: *Obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore, cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvo nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentie fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur.*

Quocirca S. C. C. in *Tarraconensi*, ad dubia: I. *An dimidia pars fructuum, qua mulctari debet Canonicus, illegitime absens, juxta caput 12 sess. 24 Concilii Tridentini, intelligenda sit de fructibus totius anni vel de rata temporis.* — Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam. II. *An hujusmodi pœna æque ac semper imponenda sit statim ac canonicus illegitime abest.* Die 22 Aug. 1885 censuit respondere: Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam;* ad II. *negative, sed ejus applicationem pendere ab Episcopo* (1).

Notanda est differentia inter hæc, quæ Concilium hoc loco præscribit quoad residentiam canonicorum, et inter alia quæ statuit sess. XXIII, de reform. cap. 1, de residentia curam animarum habentium, ubi declarat absentem, qui animarum curam gerit, *pro rata temporis absentie, fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut, ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.*

(1) Acta S. Sedis, vol. 18, fol. 281 et seq.

II. Quod si per specialem ecclesiæ constitutionem aut consuetudinem longius servitii tempus, quam novem mensium, requiratur; canonici qui non resident, iisdem pœnis subjacent, sicut Sacra Concilii Congregatio censuit (1).

III. Ut canonici ab his pœnis liberentur, non sufficit residentia in civitate, sed omnino requiritur assistentia officii divini; adeo ut contra absentes a choro ultra tres menses procedendum sit ad præscriptum concilii: requiritur enim residentia cum effectu, scilicet ecclesiæ et divinis officiis deserviendo, cum hoc sit vere residere (2).

IV. Etsi Concilium statuat, canonicis non licere ultra tres menses abesse, et alioquin unumquemque primo anno privandum esse dimidia parte fructuum, etc.; dicit tamen S. Alphonsus de Ligorio (3) ex quadam declaratione S. C. canonicos non privari fructibus, si tantum per paucos dies ultra tres menses absint: hujusmodi enim transgressio non videtur talis, ut prædictam gravem pœnam medietatis fructuum mereatur.

V. Pœna privationis fructuum, quam Concilium statuit, est sententiæ ferendæ, quæ Concilium eam non infligat, sed decernat infligendam, uti liquet ex *verbo privetur* (4): quamvis secus dicendum sit de Episcopis et curatis inferioribus, qui si non resideant, ipso jure tenentur restituere fructus pro rata temporis absentie, utpote quos non fecerunt suos, ut expresse statuit Concilium loco supra allato. Unde juxta plures (5) canonicus, qui ob absentiam in pœnam privationis fructuum incidit, illos in conscientia ante judicis sententiæ restituere non tenetur. Attamen juxta S. Alphonsum de Ligorio (6) contrarium hodie tenendum est. Ex Brevi Benedicti XIV ad Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquilejensem 19 Januarii 1748, quod refertur cap. XXVI, § 6 habetur, quod canonici choro non interessentes, sive non canentes, psallen-

(1) 9 Maji 1829, 30 Januarii et 26 Junii 1830 in *Terractnen.* apud Pallottini *Canonici* § III, n. 166; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis, c. *Licet*, n. 50; Garcias de benef. p. III, c. II, n. 144; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 119 et 120.

(2) Fagnanus loco cit. n. 41; Scarfantonius lib. 2, tit. XIV, animadv. 12.

(3) Theol. mor. lib. 4, n. 129, cum aliis.

(4) Fagnanus loco cit. n. 25.

(5) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 125; Barbosa de canonicis. cap. XX, n. 22; Scarfantonius lib. 2, tit. XII, n. 12.

(6) Theol. mor. lib. 3, n. 675, dub. 2.